

*hlais*

64/  
3320

B  
K  
B  
310

# MYSTERIA CERERIS ET BACCHI

In Vasculo ex uno Onyche

SERENISSIMI ET REVERENDIS-  
SIMI PRINCIPIS AC DOMINI

## DN. FERDINANDI ALBERTI

Ducis Brunswicens. & Lüneburg. Capituli  
Argentorat. Evangelici Senioris &c.,

PER EPISTOLAM  
AD DOMINVM HVNC SVVM  
CLEMENTISS.

*evoluta*  
*a*

JOHANNE HENRICO EGGELINGIO,  
Reipubl. Bremens. Secretario.



BREMÆ,  
Typis Hermannı Braueri, ibidem illustri Gymnasii  
Typographi, Anno 1682.


**T***V. PRINCEPS. OB. QVEM. SESE  
TRANSCENDERE. VISA. EST*

**NATVRA. OMNIPARENS. ET. VIS  
SECRETA. MINERVÆ**

**PONE. SVPERCILIVM. TRISTI  
NEC. DESPICE. NVTV**

**HAEC. TVA. QVÆ. COGNATA. TIBI  
MIRACVLA. SANXI**





SERENISSIME AC REVEREN-  
DISSIME PRINCEPS  
DOMINE CLEMENTISSIME

**M** Agnum est, PRINCEPS  
OPTIMORVM ME-  
RITISSIME, Tuum istud  
Naturæ Artisq; Miracu-  
lum, immò totius gentilis  
Theologiæ compendiosum Mysteri-  
um, quod, ut quantulâcunq; meâ evo-  
lu-

Hoc elogio ma-  
tatur DIVVS  
M. AVREL.  
CLAVDIVS in  
Nummo meo ra-  
riss.

lutum opellâ, publici juris facerem, quotidiano adeoq; benigno efflagitasti Mandato : Nam ipse eas, quas â primo statim illius adspectu concipiebam Ideas, necdum opinabar satis maturuisse; non exiguum enim tempus impendendum fuisset inquisitioni operis prope infiniti, ab illo præsertim, qui continuis, licet haud magnis, ut scis CLEMENTISSIME, distringitur negotiis. Utendum deinde cum quintiliano, Horatii consilio, qui in *Arte poëticâ* suadet, ne præcipitetur editio

*In procem. In-*  
*stit. orat.*  
*Versu 388.*

——— *Nonumq; prematur in annum:*  
ut scilicet refrigerato inventionis amore, diligentius hanc repetitam, tanquam Lector perpenderem. Ita non omittere quidem, sed premere illud negotium cogitabam, quò pudori meo sapienter consulere; ni vis major accessisset, quæ mihi omnem hujus consilii rationem conturbavit: Fas enim mihi uno FERDINANDI ALBERTI imperio ab omni me reprehensionis

nis molestiâ liberare & in solâ obsequii  
gloriâ, universam epistolaris hujus  
commentationis, vel laudem vel veniæ  
spem collocare.

Innatam, velpotius inspiratam esse  
in Protoplasto Mortalibus immortalis  
Numinis reverentiam, docet extra an-  
ni solisq; viam provecta Religio. Cu-  
jus ut optimè, nosti PRINCEPS DO-  
CTISSIME, non postrema pars sem-  
per fuere sacrificia; ab ipso quidem  
universi Conditore DEO, post lapsum  
Adami, in communefactionem de fu-  
turo sacrificio Messiæ promissi in arâ  
crucis offerendo, certâ ordinatione in-  
stituta, sed postmodum Satanæ, Dei Si-  
miæ, instinctu & directione, ut pote qui  
omnibus modis se summo Deo in cultu  
æquari vult, perversa; ita ut *Hujus ve-  
ritatem transmutarent in falsitatem, &  
colerent res conditas ac servirent eis præ-  
terito conditore, miseri Homines.*

Illustre ejus rei exemplum ostentat  
incomparabile illud, atq; regiis olim  
an-

*Cic. de Univers.  
Animum ex sua  
mente & Divini-  
tate genuit Deus.*

*Doctissimi Titu-  
lum etiam Regi-  
bus fuisse tribu-  
tum, ostendit  
Gerb. Feldmann  
in De Titulis Ho-  
norum cap. 52.*

*Grotius lib. 4. de  
verit. R. Chr.  
membr. 3. p. m.  
262.*

*Rom. I. vers. 25.*

annumerandum Gazis, SACRIFICA-  
 LE VASCVLVM, quod in splendidâ,  
 ac omni priscæ recentisq; curiosissimæ  
 supellectilis genere instructissimâ Pi-  
 nacothecâ Tuâ possides PRINCEPS  
 MAGNIFICENTISSIME; In quo,  
 an *Naturæ* luxuriam, an *Artis* excellen-  
 tiam, an *Antiquitatis* reverentiam ma-  
 gis admirer, hæreo. Hoc tantum  
 scio; nec integriorem, nec elegantio-  
 rem, nec pretiosiores Tuo illo, in Eu-  
 ropâ inveniri ONYCHEN. Tantæ  
 enim Magnitudinis, qualis hic ad vi-  
 vum expressus est, vel nudum nec ullis  
 violatum signis, quanti putas esse valo-  
 ris? Murrhina quondam vasa ex  
 Onyche fuisse fabricata putat Ansel-  
 mus Boëtius de Boot, & probat, post  
 Georg. Agricolam, Antonius Guiber-  
 tus (in *Dissertatione de Murrhinis*) indu-  
 bitatum autem relinquunt Plinii & Ap-  
 pianiloca, infrâ nobis adducenda: Quæ  
 enim Hic *Pocula ex Onyche* Gemmâ  
 facta dicit, Ille diserté *Murrhina* appel-  
 lat.

l. 10. cod. de vet.  
 jure enucl.

in Hist. lap. l. 2.  
 cap. 85. p. m. 120.  
 l. 6. de Nat. fos-  
 sil.

cap. X. p. m. 69.

lat. Verùm enim verò ingentis ea  
 tunc fuisse pretii Paulus Jctus & Plinius ostendunt. Tranquillus Auctor  
 est: Augustum, Alexandria captâ, nil  
 sibi præter unum *Murrhinum* calicem  
 ex instrumento regio retinuisse; Pia-  
 culum foret hîc præterire, quæ in pu-  
 blicis illis Ephemeridibus, quas Novel-  
 las vulgò vocant, nuper adnotavi:  
 Amstelodami inter 7<sup>ma</sup> & 8<sup>va</sup> Mensis  
 Maij, furto ablatum est Scrinium ar-  
 genteum, in quo, cœtera inter pretiosa,  
 præstantissimus erat pulcherrimus &  
 Maximus Onyx, aureo incrustatoq;  
 cinctus margine: Longitudo ejus quin-  
 que pollicum, latitudo trium, crassities  
 verò dimidii, cui similem non novi-  
 mus: Ast, quid amabo, Hic ad Tuam  
 istam *in arctum coactam rerum naturæ*  
*Majestatem?* Consideranti præterea  
 hujus lapidis duritiem, Adamantis  
 paullò inferiorem, opus istud esse ex-  
 istimandum est viginti minimùm an-  
 norum, Artificis solertissimi, ita colo-  
 res

l. 3. §. 4. ff. de  
 supell. leg.  
 Lib. 37. Nat. hist.  
 cap. 2.  
 In Aug. c. 71.

Plin. proœm. lib.  
 37.

res Lapidis distinctos convexis applicantis figuris, ut non tam Ars, quam ipsa eas Natura pulcherrimas finxisse videatur.

Verum, meum nunc erit ostendere primum *Nomen* hujus Vasis, *Ubi* olim factum fuerit & in quem *usum*; Deinde dare ejus *Mythologiam* historicam & Mysticam, quantum quidem ope, Auctorum antiquorum & probabilis conjecturae; quali, juxta Strabonem, in hujusmodi rebus, par est esse contentum; fieri poterit accuratam.

*Nomen* itaque GVTTI fuisse arbitror; Quo vinum dabant, ut minutatim funderent, à guttis Guttum appellarunt; & quo sumebant minutatim, à sumendo simpulum nomina vere: hinc in Sacrificiis remansit Guttum & Simpullum, inquit Varro. Aliud nimirum erat vas quo vinum prae gustabatur ante Sacrificium, & aliud quo illud inter victimæ cornua effundebatur, sicut & in Aram, in ignem & per totum sacrificium. Illud

lib. 4. Geogr.

lib. 4. de L. L.  
p. m. 31.

VAS SACRIFICALE EX VNO ONYCHE.  
IN CIMELIARCHIO SERENISS: BRVNSVIC:  
ET LVNEB: DVCIS FERDIN. ALBERTI  
SENIORIS.

Heidenisches Opfergeväß aus einem ONYX. Künstlich  
geschnitten: in Des Durchleuchtigsten Hochwürt. Herzogen  
FERDINAND ALBRECHT des Ältern zu  
Braunsch. und Lüneburg SENIORIS des Fürstl:  
Stifts zu Strassburg Kunst-Kammer befindlich.



ad vivum sculpsit:  
Casp. Schultze.

Illud igitur inter Guttum & Simpulum  
discrimen in ipsis Altaribus erat, quod  
ad libandum ante Sacrificium Simpu-  
lum deserviebat, Guttum verò ad idem  
fundendum in Sacris. Dicebantur au-  
tem Libamenta, tam prægustationes  
quàm effusiones, quoniam uno eodem-  
que vino utraq; Libamenta fiebant, sic  
dicta à LIBERO Patre, qui primus  
tam vini quam Libationum existima-  
tur inventor, ut Voluit Ovidius

*Nomine ab Auctoris ducunt LIBAMINA  
nomen.*

*Lib. 3. Fast.  
Vid. Job. Bapt.  
Casalius de pro-  
fan. Rom. ritibus  
cap. 15.*

*Quo verò tempore & ubi fabrefa-  
ctum fuerit Guttum hoc, non facile di-  
ctu; Id tantum in confesso est, incho-  
atum & perfectum fuisse Seculo tam ar-  
tibus quàm superstitione & vanitate,  
Theologiæ Ethnicæ florentissimo:  
Hæc penitus considerantem, adnotan-  
temq; ea quæ de Mithridate à Pom-  
pejo divincto & triumphato Appianus  
memoriæ prodidit: In Talauris, in-  
B qui-*

De Bellis Mi-  
thrid. p. m. 168.  
S 169.

quiens, quam urbem Mithridates habue-  
rat apparatus promptuarium *M M* pocu-  
lorum, EX ONTCHE GEMMA FACTO-  
RUM COMPACTORUMQUE AURO inven-  
ta sunt &c. eorum pars à Dario Hysta-  
spis filio Successoribus per manus tradita  
fuerat; partem ex Ptolomæorum Regum  
Gazâ Cleopatra penes Coos deposuerat;  
unde Mithridates à civibus tradita de-  
portaverat; partem ipse Rex parave-  
rat ac collegerat, elegantioris suppel-  
tilis percupidus. Hæc, inquam, per-  
pendentem, quem non in suspicionem  
adducant originis splendidissimæ no-  
stræ Gemmæ? præsertim cum prælau-  
datus ille Antiquitatis Promuscondus  
disertè scribat: Pompejum tertio Tri-  
umpho, quem Mithridate victo egerit,  
primum in urbem MURRHINA induxisse,  
primumq; eum sex pocula Capitolino Jo-  
vidicasse. Mithridatem præterea, in  
reliquâ ingenii magnitudine Sacrorum  
imprimis BACCHI peculiariter fuis-  
se curiosum; ex eodem Plinio adnota-  
vi,

Plinius lib. 37. c.  
2. p. m. 960.

vi in Procemio Dissertat. per Epistolas de  
Nummis quibusdam abstrusis Neronis  
Imp. Nam & ipse *Dionysus Bacchus*  
& *Liber nominabatur.*

Pag. 4 & f.

Cic. orat. pro  
Flacco p. m. 510.  
Vid. Iuven. Sa-  
tyr. 15.  
Lib. 1. cap. 2.  
Herod. l. 2. p. 48.

Hujus Dei Sacra in Ægypto, prodi-  
giosâ illâ Deorum Parente, instituta,  
juxta Theodorum Siculum, per Me-  
lampum quendam in Græciam intro-  
ducta, ex hâc verò in Italiam, ut plera-  
que alia, quæ inter & Cereris Thesmo-  
phoria, sub Isidis nomine in Ægypto  
cultæ, profecta fuisse, nemo est Litte-  
ratorum qui ignorat.

Phornutus in  
Cerere. Pausan.  
in Corinth. He-  
rodotus in Eu-  
terpe. l. 2. p. m.  
67. & Diodorus  
multis locis.

Hæc sunt illa, PRINCEPS CLE-  
MENTISS: quæ pulcro ordine Tuum  
repræsentat faberrimi vetustissimique  
operis

Κεμήλιον.

Verùm, antequam ea evulgem, li-  
ceat mihi proclamare solemne illud  
hisce Mysteriis carmen:

Callym. in Hym-  
nis :

Ἕκαστ' ἑκάστ' ὅστις ἀλιτρός.

*Gressus removete Profani!*

Claud. l. 1. de  
rapt. Proserp.

Scio enim, non defore tales, qui in  
B 2 Bac-

*Vomeris dentem;  
cujus ope sulcis  
semina condere  
solent Agricola,  
designare por-  
cum Cereri sa-  
crum, innuit  
Phornutus n ce  
rere p.m. 65.*

*Idem ibid. p. m.  
69. & Virg. l. 1.  
Georg.*

*Baccho* nostro, id est, in *Sole* maculas  
deprehendent, & *Cererem* nostram,  
*Terram Matrem* non benigno dente  
colent, sed Theonino proscindunt. At  
profectò, sub TVI NOMINIS splen-  
dore SERENISSIME PRINCEPS,  
quasi sub Tutelaris Genii patrocínio,  
nihil nobis fuerit pertimescendum.:  
Hinc ovans, cum priscâ sacrificanti-  
um turbâ, horum Numinum Sacra ag-  
gredior

*GUTTUM letusq; prehendō.*

In tria istud aureæ binæ Zonæ divi-  
dunt *Segmenta*, quorum *medium* in tres  
iterùm, atq; in ipsâ *Gemmâ* satis con-  
spicuas distinguitur *Classes*.

*Prima CEREREM* habet stantem  
in Sacello, & geminas tenentem faces,  
flammis comprehensas *Æthneis*, qui-  
bus sibi prælucens, pergebat ire quæsi-  
tum terrarum in regionibus cunctis,  
*Proserpinam* à *Plutone* raptam *Niveâ*  
tota tegitur veste, repertu *Filiæ* lætata  
*Εὐρώην*, quæ ejus raptu consternata pul-  
lam

*Vid. Claudianus  
lib. 3. de raptu  
Proserp. & Ovid.  
l. 5. Metam. item  
l. 4. Fastor.*

lam vestem induerat μελάινη. Pulcram,  
comam † Mitellâ textili, qualem Græ-  
cis Mulieribus tribuit Apuleus: \*

*Crura distincto religavit auro,  
Luteo plantas cohibente focco.*

Atq; inde non inconcinné φεινικόπρεσα, ut  
reor, Pindaro dicta.

Poné stat Cereris PROSERPINA  
puer; simili, sed dextrum humerum,  
cum pectore & pedibus nudante ami-  
ctu, vestita. Capillus præterea, Hu-  
jus, uti & trium aliarum Figurarum,  
eum in modum comtus est, qualem  
nummi Græci, & vetustiores Romani  
præmonstrare solent, atq; ideò de anti-  
quitate Gemmæ, non leve suggerunt  
argumentum. Retrò respicit Dea, si-  
nistrâque floridum attollit Papaver.

Anté *Fœmella* foccis itidem induta,  
in canistro poma præferens, &

*Masculus*, uti videtur, Barbatus, ca-  
put vittâ vel Fasciâ revinctus, cœtera

B 3

nu-

*Apul. l. II. Me-  
tam. p. m. 155.  
Jul. Aurelius de  
cognom. Deorum  
l. 2. c. 6. p. 303.  
Claud. l. cit. p.  
m. 68.  
† Homerus  
Odys. p. m. 155.  
\* lib. 7. Metam.  
Seneca in Hippol.  
Act. I. chor. p. m.  
133.*

*Vid. Gass. Sciop-  
pius ad Priap.  
carm. 86. p. m.  
122.*

nudus. Hos Semones POMONAM  
& VERTVMNVN Maritum ejus,  
interpretor, grata Ruricolis Nu-  
mina.

Primam hanc Classẽm à Secundã  
distinguit Cereri

Claudianus de  
Rapt. Proserp.  
l. 3. p. m. 68.

*Luco dilectior omni*

*Laurus.*

Tertull. de coro-  
nã Milit. cap. 12.

*Liberò quoq; ut Triumphorum Deo, sa-  
crata.*

Mox eadem Diva procedit in curru  
cum TRIPTOLEMO, cujus

Idem Claud. l. 1.  
p. m. 60.

*Angues alati strident, & squamea  
curvis*

In Cereve.

*Colla levant attrita jugis:*

*Triptolemus verò Eleusinus, ut est apud  
Phornutum, fertur per universum or-  
bem disseminasse frumentum, cum vehe-  
retur à curru Cereris, quem volantes ser-  
pentes trahebant. Hi autem Terram  
præ cœteris animantibus commonstra-  
re videntur, quod eam, toto penè cor-  
pore*

Hieron. Alean-  
der in Exposit.  
Zone Antiquæ  
statuæ p. m. 114.

pore perrepentes verrant. Vel idem dicendum quod in *Proserpinæ* Etymo Varro & Arnobius protulerunt, significare videlicet, aut radices, aut segetes ipsas, quæ cum parùm attollantur, quasi per terras serpere videantur.

Lib. 4. d. L. L.  
p. m. 19. Libr.  
3. adv. Gent.

Verùm enim verò quid Dea dextrâ prætendat, Delius natator, aut Oedipus aliquis conjector explicet; Neque enim an Flos sit; an Fructus, an ex Frugibus quid confectum, an instrumentum denique ad Agri frugumve, culturam spectans, tutò affirmaverim; dicam tamen infrà, quid hâc de re suspicer.

Huic interim

*Brachia nuda nitent  
Collectæ & tereti nodantur jaspide  
vestes.*

Claud. l. cit. 2. 1

Ex comæ ornatu, qui cum Cereris illo Eleusiniæ, quam Jacobus Spon exhibit, planè convenit, à Pictore verò non satis accuraté hîc expressus est;

Voyage du Le-  
vant. Tom. 2.  
p. 216.

æta-

ætatem nostri artificii subolfacere licebit:

Ante currum BACCHVS humi procumbit feminudus, sinistrâ Cistæ mysticæ innixâ uvam prensans vini Inventor.

Supervolitat ex Antro suo quasi proruens ZEPHYRVS

Tibul. l. 1. El. 10.

*Profluit hūic violis candidus ante  
pomis sinus.*

Alæ ejus, uti & præmemoratorum Serpentum, velocitatis signum sunt, etiam iis notum, qui necdum ære lavantur. Ventos alatos finxere non tantum Gentes sed & ipsi Hebræi, quorum Rex & Poëta in Lyricis carminibus cecinit:

Add. prelaud.  
Spon. libr. allega-  
to. p. 135. au Tour  
des vents.

Psal. 18. vers. 11.

Ἐπελάσθη ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων.

& alibi

Psalmo 104.  
vers. 3.

Περιπλῖν ἐπὶ πτερύγων ἀνέμων.

De rapt. Prof.  
libr. 2. p. m. 46.

Graphicé verò Zephyrum depingit  
Claudianus:

— Ille

— *Illa novo madidantes nectare  
 pennas  
 Concutit, & glebas fœcundo rore ma-  
 ritat;  
 Quaq; volat vernus sequitur color;  
 omnis in herbis  
 Turget humus, mediog; patent con-  
 vexa sereno &c:*

*Tertia Classis Sacrificantium turbam.  
 aperit Græcanicam, Sacra enim Cere-  
 ris per Græcas semper curata sunt Sacer-  
 dotes ait Cicero: quarum tres*

*Cic. pro Corn.  
 Balbo.*

— *Albenti velata tempora vittâ*

*Ovid. 5. Metam.*

*quam à ritu RICAM latini dixere, quòd  
 Romano ritu sacrificium cum fœmine fa-  
 ciunt, capita velant. Communis enim  
 omnium Flaminum & Sacerdotum lex  
 erat ab Ebræis petita, ut capite velato  
 sacra peragerent, ob reverentiam scili-  
 cet ac verecundiam erga Deos. Egregiè  
 Aristoteles ait: Nunquam nos verecun-  
 diores esse debere quàm cum de Diis agi-  
 tur;*

*Varro l. 4. de  
 L. L. p. m. 32.  
 add. Festus &  
 apud eum Gra-  
 nus.*

*Vid. Kipping. in  
 Antiq. Rom. l.  
 l. c. 12. n. 18.  
 Levit. 10. v. 6.*

*tur; Si intramus Templâ compōiti? Si ad Sacrificiū accessuri vultum submittimus, TOGAM ADDUCIMUS, si in omne genus modestiæ fingimur? &c.*

Octav. Ferrarius  
de re vest. l. 1.  
c. 10. p. m. 33.  
cap. 26.

Togâ nempe in sacrificiis caput obvelabant Romani. Hinc Spartianus de Hadriano: *Natali suo ultimo, cū Antoninum commendaret, Prætecta sponte delapsa, caput ei operuit: Hæc rectè quidem corrigunt Lipsius notis ad Taciti Annales, & post eum Casaubonus, Gruterus, Salmasius, Boxhornius: Aperuit; sed non explicant, Spartiani mentem; Is enim, meâ quidem, inter signa mortis Hadrianum, istud imprimis habuisse, indigitare, vult, sacrificantem tanquam candidatum* Ἀνθεώσεως; Aperto namq; capite faciebant Dii & inter Divos relati, testibus antiquis nummis: Hæc extra alia est ratio Veli Divinitatis insignis, de quo videndi Trifaninus *Tom. 3. ad Nummum Constantini M. 13. & Alb. Rube-*

Lib. 2. n. 26.

Consulantur ex  
*Arschotamis,*  
Nummi Tab. 18.  
N. 3. Tab. 16.  
N. 22. Tab. 20.  
N. 8. Tab. 25.  
N. 10. Tab. 28.  
N. 4. 8. 16. &c.

Rubenius in de Gemmâ Tiberianâ p. m.  
204. At, hæc obiter.

*Prima Sacerdotum dextrâ Sacrum* Plaut. Menecbm.  
*adfert Porculum, sinistrâ Papaver. Por-* Aët. 2. Sc. 2. v.  
*ci, inquit Varro, qui à partu decimo die* 38. & v. 15. 16.  
*habentur puri, ab eo appellantur ab An-* De Re Rust. l. 2.  
*tiquis Sacres, quòd tum dicuntur primum* p. m. 74.  
*ad Sacrificia idonei. Mysticam Por-*  
*cum vocat Tibullus: Ad quem locum* Lib. 1. Eleg. 10.  
*optimé notat Jos. Scaliger: Mystica pro-* vers. 26.  
*pter Cererem: Itaq, in Nummò Q. VIBI.* Mysteria ad Ce-  
*c. F. cusa est Ceres cum porcâ.* rerem proprie  
spectare docet  
Phornutus in hac  
Deâ.

Ideo autem Cereri Sus, quòd exca-  
vatis scrobibus fruges convulsisset, me-  
ritas luit poenas, ut canit Ovidius.

*Hostia Sus meruisse mori, quia semi-*  
*na pando*  
*Eruerit rostro, spemque interceperit*  
*anni.*

*Dicitur & Porcos interfecisse Ceres, ut* De Nat. Deor.  
*refert Phornutus quòd istud animal se-* in Cereâ  
*getem depascere & vastare consueverit:*

C 2

Aut

*Aut illud animal designat dentem vomeris, cuius ope sulcis semina condere solent Agricolaë: Et paullo post: Immolant Cereri admodum convenienter sues pręgnantes, propter Terrę fertilitatem, & facilem conceptum, & absolutam maturitatem. Pergitq; appositę offertur Cereri etiam PAPAVER: Ratio autem oblationis est talis, Papaveris rotunditas & globus, terrę formam, quę spherica est, repręsentat. Papaveris autem inequalitas, indicat Terrę valles & montium cacumina: Interiora autem papaveris, similia sunt arboribus & cavernis terrę. Per semina innumerabilia, terrę fœcundam generationem intellige. Vel ideo etiam, ut Servio placuit, ad illud Maronis*

Sues etiam Bascho Ægyptii immolabant. Herod. in Euterpe l. 2. p. m. 106.

A. L. Georg.

—— & Cereale Papaver  
Tempus humo tegere.

Hoc frugum Genetrici sacrum, quod est  
esui sicut frumentum (vescum inde eide-  
dem Virgilio, ibidem libro 4. dictum)  
vel

*vel quo Ceres usa ad oblivionem doloris, nam ob raptum Proserpina vigiliis defatigata, gustato eo acta est in soporem: vel quia Myconem Atheniensem dilexerit Ceres & transfiguratum in Papaverem, tutela sua jussit reservari: Vel quia pani aspergatur. Accinit Ovi-* <sup>3. Fast.</sup>  
*dus*

*Ille(nempe Ceres) soporiferum parvos initura penates*

*Colligit agresti lene Papaver humo:*

*Dum legit, oblito fertur gustasse palato,*

*Longamq; imprudens exsoluisse famem.*

*Altera Sacerdotissa album Hircum seu caprum adducit cornibus. Horatius* <sup>Vetus inscriptio Hist. apud Ottomem pag. 8.</sup>

*Voveram dulces epulas & album Libero caprum.* <sup>Libr. 3. Carm. 8.</sup>

*Virgilius.*

*Ergò ritè suum Baccho dicemus honorem* <sup>l. 2. Georg. v. 393.</sup>

C 3

Car-

*Carminibus patriis, lancesq; & liba  
feremus,  
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad  
aram.*

*Eâdem verò Baccho, quâ sus Cereri, de  
causâ, immolabatur: Ipse ille Maro  
paullò antè:*

*versu 378.*

*Quantum illi (scil. viti) nocuere gre-  
ges, durig; venenum*

*Dentis, & admorso signata in stirpe  
cicatrix,*

*Non aliam ob culpam Baccho caper  
omnibus aris*

*Plura adduxi in  
suprà memoratis  
meis Epist.  
De R. R. l. i. p.  
m. 9.*

*Ceditur.*

*Et varrò: Quædam pecudes cultura sunt  
inimicæ ac veneno, ut istæ, quas dixi,  
capræ; Eæ enim omnia novella Sata  
carpendo corrumpunt, non minimùm vi-  
tes atq; oleas; propterea factum ut Li-  
bero Patri repertori vitis, Hirci im-  
molarentur, proinde ut capite darent  
pœnas.*

*Sed*

Sed & ideò Virenti Cereri maſtabatur  
Aries, ſicùt teſtatur Eupolis.

Ἄλλ' ἐνθὺ πόλεως εἶμι, θύσαι γὰρ με δῆ  
κρίον χλόη Δήμητρι.

*Sed rectà ad urbem eo, mihi quòd eſt  
opus*

*Maſtare ARIETEM illic virenti Ce-  
rerì.*

Lævâ phialam cum uvâ & piris adfert  
eadem cicurum plantarum & arborum  
tum Præſidi tum Datori: Eaq; propter  
& κάρπιμον etiam vocabant, & proventum  
ὀπωρεῖς ab eo poſtulabant: Inde etiam  
Dendrophoriæ ſolennitas in Sacris Di-  
onyſiacis & Metroacis Cereris.

*Phornutus in  
Baccho.*

*Orpheus in Hy-  
mno Bacchi.  
Vid. Caſaub. de  
Satyr. Poëſi. l. 1.  
c. 2. pag. 70.*

Similes fructus in Caniſtro *Tertia*.  
ſedens genu ſuſtinet, dextrâ verò ſpi-  
cam, notiſſimam Almæ frugum Paren-  
tis tutelam.

*Apul. l. 11. Me-  
tam. Virg. l. 2.  
Georg. v. 173.  
Euseb. 3. præpar.  
Evangel.*

Adſtat, ni fallor, PHYTALUS, pro-  
pter Ficum arborem, capite fiſcinam,  
fiſcis aliisq; repletam fructibus, ge-  
rens.

*Hic*

*Pausan. in Attic.  
l. 1.*

*Hic Cererem PHRYGALUS testis exce-  
perat Heros  
Cui primum sacri largita est semina  
pomi,*

*Quam FICUM mortale genus vocat.*

*In Expos. Mensæ  
Hiacæ p. m. 32.  
Mythol. l. 5. c. 13.  
De Deis Gentium  
Syntagm. 8. p.  
m. 233. l. 14.*

Bacchum etiam Ficus inventorem,  
probat Pignorius; ejusdemq; folia.  
Huic sacra fuisse, Natalis Comes & Lil.  
Gr. Gyraldus.

*lib. 2. Eleg. 1.*

Atq; hinc apparet, Sacra hæc prin-  
cipiò non in Templis sed sub divo fu-  
isse peracta. Tibullus

*Tunc operata Deo pubes discumbet  
in herbâ*

*Arboris antiquæ, quâ lenis umbra  
cadit,*

*Aut é veste suâ tendent umbracula.*

*In Antro Nym-  
pharum.*

*L. 1. Georg. v.  
344. & seqq.*

Quin & Veteres Cœlum ipsum appel-  
lasse Peplum docet Porphyrius Philo-  
sophus ex Orphei auctoritate: Tale  
heïc cernere est clarissimé. Hunc sa-  
crificiorum ritum universum propé  
monstrat Virgilius.

*Cun-*

*Cuncta tibi Cererem pubes agrestis  
 adoret,  
 Cui tu lacte favos, & miti dilue  
 Baccho,  
 Terq; novas circum felix eat hostia  
 fruges.  
 Omnis quem chorus, & Socii comi-  
 tentur ovantes,  
 Et Cererem clamore vocent in te-  
 sta: neq; antè  
 Falcem maturis quisquam supponat  
 aristis,  
 Quàm Cereri tortâ redimitus tem-  
 pora quercu,  
 Det motus incompósitos & carmina  
 dicat &c.*

Ac proinde Varro inter Agricolarum Libi de R. R. cap. 1.  
 Duces Cererem & Liberum invocât,  
 quod horum fructus maximè necessarij  
 ad victum, ab his enim cibus & potio  
 venit é fundo.

Hactenus ipsa Sacra contemplati fu-  
 D mus,

mus, sequuntur nunc *instrumenta* Sacrorum, quæ *INFERIOR ZONA* exhibet: Ubi primo statim loco sese offert *Calathus* cum *Mappâ*; qui in eo cernuntur Globuli, panes esse ex Papaveribus ut credam, me adducit Dioscorides: *E sativi* inquit *Papaveris* genere, quod hortense semen in panem densatur, qui sanis in usu sit; atque hunc *θυλακίτην* vocat, quasi canistris asservatum. Panum etiam recentium, tanquam Donariorum in Orgiis, meminit Demosthenes pro Ctesiphonte, quem locum infra adducam.

Cato de R. R. p.  
m. 12. b.  
Libro 4. cap. 55.

Andr. Scottus  
ad Ant. Augustini  
Dial. 11. in  
Annona.

*Binæ* deinde sequuntur *Faces* decussatim junctæ. Lactantius: *Sacræ* verò *Cereris Eleusiniæ*, non sunt dissimilia; Nam sicut ibi *Osiris* planctu Matris inquitur; ita hîc ad incestum Patruum matrimonium rapta *Proserpina*; quam quia facibus ex *Aetnæ* vertice accensis in *Siliciâ*, quæsisse *Ceres* dicitur, idcir-

Lib. 1. cap. 21.

*idcirco sacra ejus ardentium tedarum jatione celebrantur.*

Immò, & Dionysii cognomen  
 λαμπήρος à *Luminibus fuisse*, ejusque Tem-  
 plum & Sacra apud Pellenos λαμπήρια  
*nuncupata*, illatis noctu intra ædem ac-  
 censis facibus, Auctor mihi est & fun- *In Achaicis. p.*  
 dus Pausanias. *m. 23j.*

Alterum ecce *CANISTRUM*; ve-  
 rum quid contineat, Gemmæ fora-  
 men, ad emittendum per aureum tu-  
 bulum liquorem, factum, oculis subdu-  
 cit. Canistri usum in Sacrificiis fuisse  
 docet Dionys: Halicarnasseus & al-  
 tissimus ille antiquitatis Gurges Maro *Antiq. Rom. l. 7.*  
*p. m. 478. §*  
*479. Hadr. ju-*  
*nins l. Anim.*  
*adv. c. 9.*  
*Libr. 8. Æneid.*  
*p. m. 287. vers.*  
*180.*

*Onerantq; CANISTRIS*  
*Dona laboratæ Cereris.*

*Canistrum verò cannis fissis contex-*  
*tum erat, unde nuncupatur: Isidoro* *l. 10. Orig. c. 9.*  
*teste.*

*Mox TIBIÆ præstò sunt, Sacrificiis*  
*D 2 solem-*

Orig. l. 2. cap. 20.

Confer. Casp.

Bartholinus in de  
Tibiis veter. l.

2. cap. 7. § seq.

lib. 2. Georg. v.

193.

solemnnes; *Tibias*, inquit idem Isidorus,  
*excogitatas in Phrygiâ ferunt: has qui-*  
*dem diu funeribus adhibitas, mox & Sa-*  
*cris Gentilium.* Inde, nunquam satis  
laudatus Virgilius:

*Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhe-*  
*nus ad aras.*

cap. 2. pag. 67.

Tom. 2. p. 529.

§ 622.

Sel. Num. c. 4. n.

28. in Baccho.

Satyros vel Bacchas Tibias inflantes,  
omnes quas hætenus contemplari li-  
cuit, exhibent Bacchi Pompæ in mo-  
numentis antiquis, præsertim in jaspide  
illâ elegantissimâ, quam primus  
publici juris fecit J. Casaubonus L. i. de  
Satyricâ Poësi. Et in Nummis Tra-  
jani, Gordiani; apud Trifanum. :  
Nec non Juliæ Severi, apud Seguinum  
&c. Rationem adfert Phornutus.  
*Quod Tibia in usu sit apud plerosq; quan-*  
*do uvæ decerpunt botrosq; colligunt.*

Tibias quoq; in Sacris fuisse Ma-  
gnæ Deûm Matris (quæ non alia ab  
Iside seu Cerere, ut deinde ostendam)  
inte-

integro capite evincit in partes jam  
 vocatus eruditiss. Bartholinus: Miré  
 verò, meo equidem iudicio, ex illis quæ  
 l. i. cap. 5. pag. 56. & seqq. ob oculos po-  
 nit, illustratur Nummus, quem possi-  
 deo, C. MEMMI C. F. Cererem exhibens,  
 lævâ Spicas, dextrâ *Facem*, ut videtur.  
 Rubenio; *Colum* verò, ut Fulvio; te-  
 nentem: Nam Tibiam esse, & quidem  
*Multiforatilem*, ut Sidonius vocat atq;  
 Apulejus, paxillis suis conspicuam,  
 quovis pignore certare ausim.

Lib. 2. cap. 8.

Ad Tab. i. n. 4.  
nummor. Ar-

schor.

In Gente Mem-  
miâ.

L. 9. Ep. 8.  
Florid. i.

*PATERA* porrò & *VRCEOLVS* lucu-  
 lento fatis indicio sunt, quò totus hic  
 Apparatus sit referendus; nempe ad  
*solemnem Sacrificii ritum*.

Ad quem in *Orgiis* non minùs spe-  
 ctabat *PERSONA*; ipsum heic repræ-  
 sentans seu Bacchum seu Apollinem;  
 (de quâ infra sumus dicturi) quàm huic  
 supposita

*FISTULA disparibus septem compa-*  
 D 3 *cta*

Virg. Ecl. 2. v.

36.

Lucianus in bis

Accusato p. m.

665.

Virg. ibid. v. 32.

*Et citutis.*

Ex Dionysii enim Ministris, omnium maximè Bacchicus

*Pan primus calamos cerâ conjunge-*

*re plures*

*Instituit.*

In Pane.

Hinc <sup>Συρίνης</sup> Phornuto nuncupatus,  
Hortorum vinearumque hispidus ille  
custos.

Horum dulces sunt fructus, queis  
subsequens adimpletus est Saccus : de  
illis in præsentī nihil ampliùs.

De SERPENTE verò ex CISTA pro-  
deunte plura habeo dicere.

In Parænetico.

In Bacchicis Orgiis Dracones Ci-  
stis includebantur : Clemens Alexan-  
drinus per interpretem : *Quales autem  
sunt Cistæ eorum mysticæ? oportet enim  
sancta eorum revelare, & arcana enun-  
tiare: Annon ea sunt sesamides & Py-  
ramides &c. & Draco orgium Dionysi  
Bassari? Tantâ Dionysio veneratione  
Græcia erat devota, ut talibus Cistis pas-  
sim Nummos signaret; inde, quantùm  
ego*

ego quidem reor, *Cistiferorum* nomen adeptos; non, ut Hadr. Junio visum, *quod expressos haberent Cistigeros, qui Sacrorum arcana cistis inclusa gestarent*: Nusquam enim tales unquam cernere memini; quamvis eorum, qui Cistam cum serpente præferrent, plurimos: Hanc igitur tanquam Asiæ certissimum Symbolum in Nummis, græcorum illorum pretium æquantibus, cuderunt Augustus, Antonius, Vespasiani-que; quin etiam sed majoris formæ atq; ponderis AP.PVLCHER AP.F.& ipse M.TVLL. Cicero, qui Cistiferi nummi meminit non semel: Ejus verò rationem ad Denarium Romanum fuisse ut XV. ad VIII. docet nos Festus apud Jos. Scaligerum. Sed hæc obiter: *Cistellam eam à Costis ex cannâ vel ligno quibus contexebatur, nominatam fuisse, testem habeo Isidorum; ipsi autem Cereri non minùs Sacram, Nummum Sabinæ Arschotanum. Sed ut ad*

*Ser-*

*In Nomenclat.*  
p. 233.

*Apud Seguinum*  
*Sel. Num. cap 3.*  
*N. 2. § 3.*  
*In Orat. pro Do-*  
*mo. l. 7. Epist. 16.*  
*§ l. 10. Ep. 1.*  
*ad Attic.*

*In de Re Num-*  
*mar. p. m. 46.*

*l. 20. Orig. c. 9.*

*Tab. 40. N. 4.*

*Serpentes orgiasticos revertamur: Hi ex illo erant Anguium genere, quos Græci παγίας vocant. Demosthenes pro Ctesiphonte; interprete H. Wolfio: Interdiu autem præclaros illos cætus per viam ducens feniculo & populo redimitos, Serpentes, quos PARIOS vocant, elidens, & super caput efferens, & clamitans, Evoe Saboe, & interim saltitans, Hyes Attes, Attes Hyes, auspex & dux & picifer (cistifer) & vannifer, & ejus generis aliis nominibus, ab aniculis salutabare, mercedem pro istis ab aliis accipiebas placentas & scriblitas & RECENTES PANES.*

*Plura in hanc rem addidit Alb. Rubenius in de Nummo Asia recepta.*

*Cicero 2. de LL.*

*Adeatur Cl. Bartholinus l. c.*

De Panibus suprà mentionem feci; de Mercede id tantum monendum: Apud Romanos Lege prohibitum fuisse, ne, præter Ideæ Matris famulos, eosq; justis diebus, quis stipem cogeret. Verum de his satis; neq; enim mihi prolixiori esse permittit instituti ratio.

Ca-

*Caput Senile* promissâ barbâ vene-  
randum *SILENI Personam* esse dico;  
fuit etenim

— *Custos famulusq; Dei Silenus  
alumni*

Larvis in Orgiis usos fuisse, laté mon-  
strat *Tristanus* in *Explicatione Vasis*  
*Antiqui*: Immò, ex *His* originem du-  
cere, detegit *Virgilius* noster:

*Horat. de A. P.*  
v. 239. jungatur  
*Nemes. Eclog. 3.*  
v. 27. & seqq.  
*Tom. 2. Com-*  
*ment. Hist. p.*  
622. & seqq.  
*Libro 2. Georg.*  
v. 387. & seqq.

*Oraç, corticibus sumunt horrenda  
cavatis:*

*Et Te Bacche vocant per carmina  
leta, Tibiq,*

*Oscilla ex altâ suspendunt mollia  
Pinu.*

In *Ptolomaicâ Pompâ* apud *Dipnoso-*  
*phistam*, traducuntur *cum Tympanis,*  
*Mitris, Thyrsis, etiam* πρόστυπα Σατυρικά, κωμικά,  
καὶ τραγικά.

*Personam* quoq; cum *Thyrso* in  
*Megalesiacis* conjungit *Juvenalis.*

E

— *Tri-*

Satyra 6. v. 70.  
71.

— — — *Tristes*

*Personam Thyrsūq; tenent —*

quæ neq; Hic disjuncta sunt;

*Fasciculum* enim istum vicinum,  
*Thyrforum*, vel potius *Ferularum* esse  
autumo; nam *Thyrſus* eo etiam di-  
ſtat ἀπὸ τέρθης, quod acie lanceæ munitus  
eſſet *Thyrſus*, ideo λογχῶδες θύρσος & θυρσόλογχον  
vocabatur: Hæ vero ferro omnino ca-  
rent: Verùm

Is. Caſaub. de  
Satyr. vet. Poëſi  
l. 1. c. 2. p. 97.  
Phornutus in  
Baccho.

Flor. Schonbo-  
vius Embl. XI.

*Cur Ferulam Bacchus manibus gerit*  
*atq; Papaver?*

*Dic mihi cur veteres hoc voluere*  
*Patres?*

*Scilicet, ut vino plenus det corpora*  
*Somno,*

*Poſtridie pœnas ſe meruiſſe ſciat.*

Verùm enimverò & ego has meritò  
darem, ſi Tuâ, PRINCEPS CLE-  
MENTISSIME, abuterer Patientiâ:  
Quare ad reliqua hujus Negotii,  
My-

MYSTICA scilicet, pedem, sed compendioso gradu, promoveo. Ea verò maxima sunt totius Theosophiæ Gentilis & vetustissima, ad quæ cætera omnia, tanquam centrum suum collimant:

*Principes Dei*, inquit Varro, sunt <sup>L. 4. de L. L. p. m. 17.</sup> COELUM ET TERRA: *hi Dei iidem qui in Ægypto Serapis & Isis; (Eusebio, Osiris & Isis.)* Est autem *Isis* apud Herodotum, quæ græcâ linguâ dicitur Δημήτηρ, i. e. Ceres. *Osiris* est Dionysus i. e. Liber. Et secundum Diodorum *Isis* cum Lunâ, *Cerere* atq; *Junone*, *Osiris* cum *Sole* *Serapide*, *Dionysio* &c. in unum veluti corpus rediguntur. <sup>L. 2. p. 46. 49. 64 & 67. add. Phornutus in Cerere & Euripides in Bacchis. Diod. l. 1. c. 2. Jung. Macrobius l. 1. Sat. c. 18. nec non Plutarchus in de Iside & Osiride.</sup>

Cùm enim SOL E, generationis omniumq; propé bonorum Auctore, agente, nil pulcrius, nil utilius conspicerent cæci Pagani; TERRA patiente nil benignius; utpote quæ instar Matris pariat & enutriat omnia, *Istum Patrem, Hanc* meritò *Deorum* <sup>Non egligatur Varro, loco jam jam adlegato.</sup>

E 2

ac

Arnob. l. 3. adv.  
Gent.

Vid. Hier. Ale-  
ander in expl.  
Tab. Heliacæ  
p. 103.  
Phil. 3. v. 19.

ac Hominum *Matrem* vocarunt; atq;  
ad hæc tandem Numina retulerunt,  
quæ sub varia Nominum appellatione  
longé lateq; venerabantur.

Hic verò dolore subit infelicem il-  
lorum cæcitatem, *quorum Deus venter*,  
ut verbis utar Apostoli: Siquidem eos  
sibi Deos constituebant, qui ventri  
inservirent, Fruges nimirum & fru-  
ctus, Terram præterea ac Solem Lu-  
namq;, tum tempus, pluviam, aërem,  
ventum; quæ omnia nascituris condu-  
cunt rebus alimento idoneis.

Lib. 1. Sat. cap.  
20.

Ideo ergo (ut Serpentem, *Solis*  
*Solig*, in nostrâ Gemmâ non semel ob-  
vium Hieroglyphicon, iterum tan-  
gam) *ad ipsum SOLEM* juxta Macro-  
bium, *Species Draconis refertur, quia*  
*præstat ut humana corpora, velut infir-*  
*mitatis pelle depositâ, ad pristinum revir-*  
*rescant virorem, ut virescunt Draco-*  
*nes per annos singulos pelle senectutis*  
*exutâ. Cumq; similem in modum sata*  
*semi-*

*semina in segete renascuntur, Angues  
etiam TERRAM ejusq; uliginem aut*  
*καλιγγενεσιαν* Goropio Becano denotare vi-  
 dentur.

Lib. 5. Hierogl.  
 Serpentis &  
 Mundi sympa-  
 thiam ac consen-  
 sum fusè per-  
 tractat. J. V.  
 Valerianus in  
 Hierogl.

Eò non minus spectare dixerim,  
 ex implexis frondibus, floribus, po-  
 mis, fructibus, frugum spicis, boum-  
 que craniis, quod in TERTIO & supe-  
 riori vasculi nostri SEGMENTO contu-  
 emur Jugamentum lemniscatum, Fœ-  
 cunditatem Telluris, vi Solis, per qua-  
 tuor Anni partes proveniente[m], du-  
 bio procul præmonstrans. Liceat mi-  
 hi istud amplius ostendere vel saltem  
 hariolari ex iis, quæ in primâ medii  
 segmenti classe nobis sunt proposita :  
 Quatuor ibi spectata Signa, quatuor  
 Anni tempora non ineptè denotare,  
 credas.

Ceres enim pedes, caput, totum-  
 que adeò corpus contra frigus muni-  
 ta, facibusque instructa, Hyemem  
 E 3 adum-

adumbrat & subterraneum calorem,  
 qui Hyemis tempore à circumstante  
 frigore inclusus, radices frugum miri-  
 ficè auget, Seminibusque vim imper-  
 tit percoquendi alimenta aut auge-  
 scendi.

A tergo adstans *Proserpina*, pe-  
 ctore, pedibusque nudis, & florem  
*Cerealis* tenens papaveris, floriparum.  
*Ver* depingere videtur & dulcia geli-  
 dæ divortia *Brumæ*; Ideò autem re-  
 spicere, quòd præceps retrogradien-  
 tem post se contempletur Solem. At-  
 que sic *Torridam Æstatem* nudus no-  
 bis aperit *Vertumnus*,

*Vid. Propert. ad*  
*l. 1. Georg. Virg.*  
*v. 212.*

*Propert. l. 4. Ec.*  
*2. Ovid. l. 14.*  
*Metam. fab. 16.*

*A quo vertentis fructum percepi-*  
*mus anni,*  
 — *Quiq; fuit veri Messoris imago,*  
*Tempora sæpè gerens sæno religata*  
*recenti.*

Dici-

Dicitur autem Vertumnus Donato DEUS, qui rebus ad opinata revertentibus præest; Atque ideo Varroni inter Deos Agricolæ consentis sub Bono eventu colitur, quoniam sine successu ac bono eventu frustratio est non cultura.

Ad Terent. Adelph. A. 2. Sc. 1. ad finem & A. 1. Sc. 2. Hecyræ. l. 1. de R. R.

Marito conjuncta Uxor Pomorum Patrona, Autumnum designat; Quæ

Varro de L. L. l. 6. p. m. 74.

Rus amat & ramos felicia pomiferentes;

Ovidius loco mox citato.

Nec fuit arborei studiosior altera fœtus,

Unde tenet Nomen.

Vestita est plurimâ corporis parte & calceata, nam

Autumno dat Hyems mistum vicina teporem:

Asmenus in Te-traestich. Virg. oper. subjunct.

Verum de his satis cum subsequenti dictum sit Juliani Epigrammate:

Ibidem.

VE-

*VERE gravis fundit Tellus cum  
FLORIBUS Herbas.*

*Frugiferas Arvis fert ÆSTAS  
torrida MESSES.*

*POMIFER AUTUMNVS tenero  
dat Palmite fructum.*

*Mox Humus HYBERNIS albescit  
operta PRUINIS.*

Libro 4.

Tab. 14. N. 9.

Vid. Antiq. J. J.  
Boisfardi.

A. Gellius l. 19.  
c. 9. N. A.

*PECUDUM* illa *CRANIA* in Encarpo (ut Vitruvius vocat) & *Sacrificia* denotant, uti in Nummo Augusti Arscho-  
tano; &, quâ sine nulla fit *Generatio*,  
*Corruptionem*; Utamque ob causam  
in Monumentis sepulchralibus fre-  
quentissima. Ad istam in Humano  
Genere Genituram fortean referen-  
dum erit, quod *Ceres* in curru stans  
Dextrâ prehendit; Et quidem, si Tu  
*PRINCEPS INDVLGENTISSI-*  
*ME*, permiseris, dixerim, sed non nisi  
operto capite & submissâ honoris præ-  
fatio-

fatione: *NATURAM* esse sive *Genitale aruum*. Quemadmodum enim *BACCHO SOLI*, tanquam *GENERATIONIS PATRI*, *Ithyphallos* subrigebat *Græcia*, & *Simulacris virilium Fascinorum territoria cuncta florebant*; sic non immeritò *CERERI TERRÆ*, ut *MATRI Generationis*, muliebre *Organon* sacrabat. *Claré Augustinus* ex mente *Paganorum*: *LIBER* emissionem seminis *Viris* confert, hoc idem *LIBERA*, quæ *Ceres* seu *Venus* est, *Fœminis*. Hanc igitur *A-pulejus* ita invocat: *Regina Cœli*, sive *tu CERES alma frugum Parens originallis*, seu *Cœlestis Venus*, quæ primis rerum exordiis *Sexuum diversitatem generato amore sociasti* & *eternâ sobole humanum Genus propagasti*. Atq; eodem planè Symbolo in *Mysteriis Magnis Eleusiniæ Cereris*, *Canephoras* in cistâ opertâ *Muliebrium Naturam* deferre, solitas scribit *Theodoritus*; Nec ali-

*Arnobius l. 5.*  
*adv. Gentes.*

*Lib. 7. de C. D.*  
*cap. 2. § 3.*

*Lib. II. Metam*  
*sub Init.*

*L. G. Gyraldus*  
*synt. 14. in Cere-*  
*re p. m. 365. l.*  
*25. 26.*

F

ud

ud in Orgiis Bacchi & Cereris *Fascino* significabatur & *Vanno*.

Possẽm etiam dicere, *Quatuor* heic indicari *Elementa* quasi *Alimenta* dicta, quod ex iis rerum naturalium substantiæ constituentur & sustententur; Per *Cererem* nempe *Terram*; Per *Triptoleum*, noctu in ignem à Deâ clam obrutum, *Ignem*; Per *Zephyrum* *Aërem*; Et per *Bacchum* à Nymphis educatum, atq; Eundem apud *Ægyptios* cum *Nilo*, *Aquam*; Sed nugari mihi ampliùs non licet, neq; Tuâ PRINCEPS CLEMENTISSIME, diutiùs abuti patientiâ. Verbulo itaq;, ne quid intactum relinquam, monebo saltem: *Bacchum* *Cistæ* innixum *Securitatem*, quam rustica vita amat, indicare; *Phornutus*: *Secundum* quandam rationem *Bacchus* pacis nomen meretur, circum namq; plantarum tum *Præses* tum *Dator* existit; propter has enim conservandas *foedera* ineuntur; nam *Hostium* arbo-

*Servius ad l. 1.  
Georg. v. 9.  
verba: Unciq;  
pner monstrator  
aratri.*

*Consul. Nummi  
antiqui.*

*In Baccho.*

*arbores caduntur* &c. Pulcré hinc Roma, in Hortis Carpensibus, super Portâ, quâ descenditur ad fontem, dormiens conspicitur Agricola caputq; brachio genu imposito fulciens; hâc subscriptione:

*Jan Jac. Bois-  
sardus Antiq.  
Rom. parte 4.  
p. m. 72.*

*Et secura quies & nescia fallere  
vita;*

Quam etiam ob rem agreste Papaver. Securitati olim Dicatum erat non immerito.

*Seminudus* autem apparet Bacchus, quò, ut idem loco prælaudato edocet Phornutus, ostendat morum detectionem, quæ in compotationibus, ubi plus satis adbibitur, accidere solet, hinc vinum Græcis veré oîves dicitur: Vel quia Sol de die terram illustrat, de nocte absconditur & super nostrum Hemisphærium caligines fugâ suâ inducit.

Multò his possem plura addere, **PRINCEPS SAPIENTISSIME**, sed ipsa

*Plura qui desiderat, Mythologos adeat, & quos passim citavimus Auctores.*

*Phorn. in Cerere  
sub finem. Cic.  
Att. 7. in Per-  
rem. Ovid. l. 5.  
Met. v. 343.  
Phornutus ite-  
rùm ibidem.*

*ἡμεῖς* ipsa Ceres aurem mihi vellit &  
vetat Epistolæ legem transgredi; qua-  
re, uti ad antiquum *Græcorum morem*,  
*Illam hujus Sacrificii initium constitui, ita*  
*Eandem quoq; hîc finem facio, & TUAM*  
**SERENITATEM** Christiani orbis,  
atq; adeò Litterariæ Reipubl. bono,  
longùm vivere & florere candidissimè  
optans! in veteri illa solemniq; For-  
mula concludo: **FACTVM EST**  
**DOMINE QVOD IMPERASTI**

**REVERENDISS. TVÆ CELSITVDINI**

Bremæ è Museo

*Secundum vetus  
Calendarium  
apud Lambecium  
in Appendice ad  
libr. 4. comment.  
de Bibl. Casp.  
m. 285.*

meo, ipso vin-  
demiæ die, i. e.  
Non is Sept.  
Anni Christiani  
clō lcc LXXXII.

*Devotissimo Servulo*

**JOHANNI HENRICO EGGELINGIO.**

## APPENDIX

Seriùs

à SERENISS. transmissa.

**V**Asculum hoc Sacrificale Gentium, dictum est *Mantuanum*, ideò, quòd olim fortissimo Heroi, FRANCISCO ALBERTO, DUCI Saxoniae Inferioris, Cæsareo tunc temporis Campi-Duci, post expugnatam *Mantuum*, Hoc, tanquam pretiosissimum & rarissimum in celebri illo *Gazophylacio Mantuano*, à milite quodam gregario, cui 100. Ducatorum pro hoc ipso dedit, oblatum fuit. Hic Sereniss<sup>æ</sup>. Principi, Dnæ CHRISTINÆ MARGARETÆ, natæ DUCI Mekelenburgi & Gustrovii, Conjugi suæ quondam Carissimæ,

F 3

idem

idem illud Testamentô reliquit. Hæc  
 itidem, factâ dispositione Testamen-  
 tariâ, ad Sereniss<sup>am</sup> Principem, Dnam  
 SOPHIAM ELISABETHAM,  
 Ducem Brunsvicens. & Guelferby-  
 tens. Germanam suam unicam, hoc  
 ipsum devolvit. Quæ, Mater Celsis-  
 sima, idem illud Vasculum Sereniss<sup>o</sup>.  
 Principi FERDINANDO ALBER-  
 TO, DUCI Brunovicens. & Lünæ-  
 burgens. tanquam Prælegatum quod-  
 dam vigore Testamenti & Codicilli  
 donavit. Rarum hoc & pretiosum  
 Vas in viridi Capsula, holosericô in-  
 trinsecus & extrinsecus obductâ, funi-  
 culoq; argenteo cinctâ, continetur.  
 Cujus ansâ, pes, operculum, canalicu-  
 lus, & juncturæ, auro inclusa; Vascu-  
 lum ipsum circumcirca antiquis Ro-  
 manis gentilium Sacrorum & Sacrifi-  
 ciorum Imaginibus mirè exornatum.  
 In æstimatione Bonorum Hereditatis  
 PRINCIPIS, *Lapis hic*, ex quo Vas  
 con-

constat; ob raritatem & summum pretium à Gemmarum Mangonibus haud potuit æstimari, multò minùs, ob venas in ipso mirè ludentes, & ob Imaginum Antiquitatem, nomine proprio insigniri. Tandem propter ductus in eo conspicuos Onyx creditus & cognitus. Fuisse, qui 60000. ad usq; 90000 Imperiales pro illo licitati sint, Acta referunt. Taxatum eundem esse pretio 150000. Imperialium, maternæ hereditatis Inventarium, prodiit.

*F I N I S.*



NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO  
V I R O  
ELIÆ BRACKENHOFFERO  
PATRONO SVO  
S. D.  
VLRICVS OBRECHTVS.



Ptaui sæpenumero  
VIR AMPLISSIME, com-  
modum aliquem mihi lo-  
cum obtingere, quo de  
publica cimeliarchij Tui  
celebritate, Tibi Patriæq;  
gratularer. eoque ardentius, oblatam nuper-  
ime opportunitatem sum amplexus: post-  
quam Te non solum conniunte, sed appro-  
bante, futurum intellexi; si *nummum Domi-  
tiani argenteum*, quem inexpectata quædam  
atque improvisa fortunæ indulgentia, Gazæ  
Tuæ non ita pridem inseruit, publicæ Erudi-  
torum notitiæ dijudicationique commenda-

A 2

rem.

rem. Nam ego quidem quoties rarissimi hujus cimelij pretium cogito, prorsus inducor, vt existinem, Musis Gratiisque adgubernantibus accidisse, vt in tam illustri Sacrario sedem consequeretur. communi quippe sorte cum eo deinceps fruiturum; largissimoque recepturum fœnore, si quid illi splendoris dignitatisue mutuatur. vtpote quod adire, introspicere, venerari, à multo jam tempore præcipuam exquisitioris disciplinæ partem habuere, quicunque ad Urbem nostram eruditæ cordatæque peregrinationis studium vel curam attulerunt. Dudum enim est, quod inter Illustres Peregrinatores veluti solenni elogio de Tuis ædibus vsurpatur, quod de Principis cujusdam Mamertini domo *Tullius* prædicat: *C. Hejus est, Mamertinus ( omnes hoc mihi facile concedent, qui Messanam accesserunt ) omnibus rebus in illa ciuitate ornatisimus. hujus domus est vel optima Messana, notissima quidem certe, & nostris hominibus apertissima, maximeq; hospitalis. Erat apud*

in Verr. IV.

*apud Hejum, Sacrarium magna cum dignitate in adibus: in quo signa pulcherrima. Messanam ut quisq<sup>3</sup> nostrum venerat, hac visere solebat: omnibus hac ad visendum patebant quotidie: domus erat non domino magis ornamento, quam civitati* Equidem Argentoratum non obiter aut perfunctorie lustrasse, gloriari vix queat, quem non aut poenitentia sit, aut pudor subiturus, si Brackenhofferianum Museum aut ignorare se, aut neglexisse profiteatur. illi vero deprædicare satis industriæ diligentiaque suæ fructus non possunt, qui se in rerum pulcherrimarum selectissimarumque non contemplationem duntaxat, urbanitate comitateque Tuâ admissos, sed interiorem notitiam, doctrinâ sapientiâque Tuâ deductos gratulantur. è quibus, prout tractatu atque intelligentia hujus supellectilis, quique præcellunt, ita asseveratione animosiori testantur, se vix uspiam copiosiore præsentioreque profectu esse admiratos artem cum natura, imo naturam

A 3 cum

cum arte rarissimæ vetustatis genium,  
 cum recenti nouorum inuentorum gloria;  
 cœli terrarumque thesauros, cum miraculis  
 æquoris, diversissimorum denique inter se  
 populorum sæculorumque ingenia, tanquam  
 ad politioris quoddam elegantiae certamen  
 composita.

Tali vtique consortio domicilioque spe-  
 ctari censerique dudum dignissimum erat  
 monumentum, quod describere aggredimur.  
 in quo, vt cætera eximio quodam sublimio-  
 rique æstimo taxari mereantur, inprimis ef-  
 ficiunt effulgentia vndiquaque genuinæ an-  
 tiquitatis indicia; quibus, si quid in sincera  
 nummorum vetustate dijudicanda certum  
 exploratumque haberi debet, omni supposi-  
 tionis aut *volētiæ* suspicione facile liberatur.  
 Tuebitur hujus sententiæ fidem apud peritos  
 talium rerum Arbitratores, & quouis pigno-  
 re luculentius firmabit integerrimi iudicij  
 Tui auctoritas. nemo certe verebitur suæ  
 credulitati infidias strui; postquam allatus ex  
 interi-

interiore Galliæ recessu nummus, multorum  
hactenus oculis vsurpatus est, & deinceps  
in celeberrima luce Musei Tui constitutus,  
publicæ docti curiosique orbis cognitiōni ac  
censuræ patebit.



Anterior hujus denarij facies optima  
sui ipsius interpretis est. Legitur in illa Do-  
mitiani capiti laureato circumscriptum: CÆ-  
sar DOMITIANUS AVGVSTVS GERMANICVS Pon-  
tifex Maximus Tribunitiæ Potestatis XV.

In averſa parte dignius vberiori dis-  
quisitione argumentum exhibet *figura ſedens,*  
*in corona, caput galero teſta, tunicam induta*  
*manicatam, cinguloq; correptam, & ad ima ve-*  
*ſtigia deſluentem; dexterâ inſtar cordis proten-*  
*dens,*

*dens ; levâ, qua crucem immissam, lateri applicat, luna dimidiata ; pede autem sinistro in puppim liburnæ innixa.*

In quo quidem apparatu facile in se mentem oculosque curiosiores convertit, insolitum prorsus inuisumq; in ejus æui nummis, *CRVCIS symbolum.* quod nonnullos permouit, vt ad *Christianam Religionem* hoc ænigma referrent. de qua Domitianus trophæum hoc monumento erigere voluerit. postquam illam sævissimæ persecutionis clade afflixisset. Neque desunt sane exempla nummorum, quibus vrbes, regiones, populi *VICTI CAPTIVE*, plerumque quidem elogiis additis, interdum tamen & nuda imagine promulgantur. De quo genere, inter cæteros eximius est nummus Domitiani argenteus, *Germania lugentis* typo insignitus, quem cum *Thesauro* inæstimabili publicauit indefessus nummariæ antiquitatis Reparator *Carolus Patinus.* Quin & fauet huic conjecturæ temporis annotatio. *Decimo quinto*  
enim

Thef. Num.  
p. 60.

enim imperij anno, quo signatum esse hunc nummum, ex inscriptione liquidum est, Domitianum ad persequendos Christianos esse delatum, post *Eusebium*, *Nicephorum Callistum* & alios, docuerunt *Scaliger in Thesouro Temporum*, *Cuspinianus in Fastis*.

Hist. Eccl.  
III, 20. & in  
Chron  
Hist. Eccl.  
III, 9.

Qua mihi tamen verisimile nondum redditur, illa jam ætate, monetarios didicisse sanctissima fidei nostræ mysteria emblemate crucis exprimere; qua doctissimi quique sagacissimiq; Romanorū adeo nostræ religionis rudes erant, vt ne Judæorum quidem & Christianorum vlla discrimina intelligerent. Exempla apud *Tacitum* in primis & *Suetonium* obvia sunt. Sed & *Dio Cassius* hanc ipsam persecutionem aduersus eos directam scribit, qui in ritus Judæorum transierant: nec alia de causa damnatam *Flauiam Domitillam*: quam tamen pro confessione nominis Christiani, in *Pontia insula* longum martyrium duxisse, ait *Hieronymus*. quid? quod ne executum quidem penitus esse destinata, sed pœnitentiâ sœuitiæ

lib. LXVII.

Epitaph.  
Paul,

B

sub-

Apolog. c. VI.

Hist. Eccl. III, 20.

subeunte, illos etiam, quos relegauerat, restituisse Domitianum, ex *Tertulliano* constat. ne de *Hegesippo* nunc dicam : qui edicto coercitam à Domitiano Christianorum persecutionem, apud *Eusebium* memorat. Et quousquis attentius denique habitum tam abstrusæ imaginis expendere ; eo proclivius in tenore plenæ interpretationis evanescere sentiet, quæ primo forte intuitu, ad sustinendum hujus conjecturæ robur, è reliquo ænigmatis apparatu attemperari posse videbantur.

Nihil certe, quod subactæ afflictæque religioni potius, quam superbienti & jactabundæ superstitioni conveniat, queas deprehendere. Cui meministi, PATRONE AMPLISSIME, me initio statim, hunc denarium, cum de eo primum sententiam meam exquirere dignareris, in solidum transcripsisse. adeo enim manifestis indiciis se probebant *Isiaci* cujusdam *Sacrigeruli* insignia : ut in eo efformando pronuntiarem Flatores hujus numismatis ad *Ægyptiæ* usque laborasse.

Pror-

Prorsusque adesse coram atque ante oculos  
 assidere mihi videretur vnus de *Antistitibus*  
*sacrorum* & *proceribus illis*, qui, describente Apulej. Me-  
tam, lib. XL  
 Oratore Madaurense, *candido lintheamine cin-*  
*ctum pectorale adusq; vestigia strictim injecti,*  
*potentissimorum Deum, insignes exuuias pro-*  
*ferre consueuerunt.* Idem *Pastophoros* ali-  
 bi & *sacrorum gerulos* vocat, qui *Plutarcho* de Isid. &  
Osirid.  
*ιεραφόροι* dicuntur. Veste utebantur mulie-  
 bri: cuius indicium *manica* in nummo: Vn-  
 de in *Poematio Christiano Veteri*, quod non-  
 nulli *Tertulliano*, alij *Cypriano* tribuunt, *ad*  
*Senatorem*, qui de *Christiano* in *Sacerdotem*  
*Isiacum* degenerauerat, non immerito iis ex-  
 probratur,

*Namq; sacerdotes tunicis muliebribus iidem*  
*Interius ritum cultu exteriori fatentur.*

de manicis trita sunt & peruulgata omnia.  
*Eas tunicas*, inquit *Gellius*, quæ manicas ha- No 8. A. 6.  
VII, 12.  
 bebant, *Græco vocabulo nostri chirodotas* ap-  
 pellauerunt, *feminisq; solis vestem longe lateq;*  
*diffusam decoram existimauerunt.* Et hinc

**Germ. XVII** *Tacitus* in Germanorum mulieribus tanquam  
 eximium, atque à Romana mollitie alienum  
 notat, quod *pari cum viris habitu, partem ve-*  
*stitus superioris in manicas non extenderint,*  
*nuda brachia ac lacertos.*

**Metam. XI.** Cæterum capite quidem raso, sed ob-  
 umbrato tamen vel obtecto caluitio incede-  
 bant: nisi qui intima prorsus admissione, per  
 omnia vanæ superstitionis mytheria essent  
 initiati: qui munia sua caluitio quoquo ver-  
 sus obuio obibant. testis locupletissimus ite-  
 rum *Apulejus: ne sacris suis ( Osiridis ) gregi*  
*catero permixtus deseruirem, in collegium me*  
*Pastophororum suorum, imo inter ipsos Decu-*  
*rionum Quinquennales elegit. Rursus de-*  
*nig, quam raro capillo, collegij vetustissimi &*  
*sub illis Sulla temporibus conditi munia, non*  
*obumbrato vel obtecto caluitio, sed quoquo versus*  
*obuio, gaudens obibam.* Tegmen autem quo  
 obumbrabatur caluitium, *galerus* fuit, propri-  
 um Sacerdotum gestamen. de Isiacis *Tertul-*  
*lianus: ob cultum per omnia candidatum, & ob*  
*notam*

**de Pallio:**

notam vitæ, & privilegium galeri, Cereri initiantur. Cererem intellige *Fariam*, vt idem alibi Isidem nominat. cuius nimirum ministri *lintheæ vestis candore puro luminosi, ob cultum per omnia candidatum*, Apulejo describuntur.

Apol. c.  
xvi.  
vid. Lips. de  
cruc. l. 5.  
Metam. xi.

Gestabant autem Isiaci Sacerdotes prætor instrumenta apparatusque sacrorum, & simulacra Numinum suorum, *plantas* quoque; varij generis, & imagines deæ consecratas: quales ab *Apulejo* complures, in describenda pompæ Isiacæ solennitate enumerantur: & de *Seriphio* siue *absinthio marino* testatur *Plinius*: *Hujus ramum Isiaci præferre solenne habent.* in isto autem censu ponunt inprimis *PERSEAM*, eruditi *Ægyptiacæ Mythologiæ* interpretes: cuius fructum porrigit dexterâ *Pastophorus* noster, assurgentis rami reliquiis annexum: prorsus qualis à *Plutarcho* ex ipsorum *Ægyptiorum* disciplinâ describitur. τῶν δ' ἐν Αἰγύπτῳ φυτῶν inquit ille, μάλιστα τῇ θεῷ καθιερωταί λέγασσι τὴν ΠΕΡΣΕΑΝ. ὅτι

B 3

καρδία

Hist. Nat.  
xxvii, 7.

de Isid. &  
Osirid.

καρδία μὲν ὁκαρπὸς αὐτῆς, γλώττη δὲ τὸ φύλ-  
λον ἔοικεν *E stirpibus Aegyptiis, maxime con-*  
*secratam deæ (Isidi) PERSEAM ajunt, quod ejus*  
*fructus, CORDIS; folium, LINGVÆ speciem re-*  
*fert.* Quod testimonium, quantum quidem  
ad nostrum institutum attinet, lucrifacit no-  
bis disputationis valde intricatæ molestiam;  
in qua de *persea* plura confundi, quæ discer-  
ni oportebat, post *Julium Cæsarem Scalige-*  
*rum*, observavit eruditissimus priscæ sapien-  
tiæ, politiorisque literaturæ felicissimus vin-  
dex *Ezechiel Spanhemius*. Cæterum in ipsa  
quoque Aegypto perseam rarius creuisse, &  
hinc diligentiolem ejus curam esse habitam,  
argumento est Imperatorum *Arcadij & Ho-*  
*norij* Constitutio, qua libris quinq; auri mul-  
tabatur, si quis *Daphnensis* luci in Syria, vel  
*Perseis* in Aegypto arbores comparauisset. Fal-  
sis vero Numinibus dedicatam, si non ali-  
unde, ex narratione miraculi colligere liceat,  
quod Hermopoli in Thebaide ad infantis JE-  
SV aduentum contigisse *Sozomenus & Ni-*  
*cepho-*

ia Teophr.  
de Caus.  
plant. II, 5.  
in Arist. de  
plant. lib. 1.  
p. 81.  
de Vsu &  
Præstant,  
Vet. Num.  
p. 260.

l. i. C. de cu-  
pressis ex  
luc. Daph.  
vel Perseis  
per Agypt.  
non exci-  
dendis.  
vid. Cl. Pi-  
gnorij mēf.  
Isiac. c. 111.  
p. 35.  
Hist. Eccl.  
V, 21.  
Hist. Eccl.,  
X, 31.

*cephorus (allistus memorant. Perseam nimirum insignis proceritatis, Christi praesentiam non ferentem, sese in terram inclinasse; & pulso ex eâ Demone pronam inclinatamq; mansisse.*

Casaub.  
Exerc. Ro-  
ron. II. 14.

Præter hæc, alia etiam his pompis ferula ostentabantur, ad repræsentanda potissimum Deæ munia, symbolice adornata: sicut ex *Apuleij* mystis, *quartus Aequitatis indicium ostendit.* Inter ea autem non augustius aliud fuit, quoue censerī magis vanissimum numen æstimarique vim suam voluerit, quam *Salutis novæ, venturæq; vitæ* tutela: cujus spem ab illa paciscebantur, qui fato propiores, vltimi casus pericula exhorrescebant. Nam & inferum claustra, & salutis tutelam in Deæ manu posita, jactat apud *Apulejum* mendacissimus præstigiator, ipsamq; traditionem ad instar voluntaria mortis, & precaria salutis celebrari: quippe cum transactis vitæ temporibus, jam in ipso finita lucis limine constitutos, quīs tamen tuto possint magna religionis committi silentia,

numen

Clem. Alex-  
andr. Strō.  
V.  
Metam. XI.

Metam. XX.  
p. 267.

*numen Dea soleat eligere, & sua providentia quodammodo renatos, ad nova reponere rursus salutis curricula.* Vti vero salutem, an-

vid. Tertul.  
adu. Marci-  
on, lib. III,  
cap. 18,

Gretser. de  
Cruc. lib. I,  
cap. 43.

Hist. Eccl.  
II, 29,

vid. Eunapij  
ad. sum.

voc. σωφ.

gue sacro, ita reparationem vite, CRUCIS sym-  
bolo designare, à salutifero serpente, quem in  
deserto Moyse exedit, Ægyptios didicisse exi-  
stimo. Nam id quidem dudum extra du-  
bium positum est, inter literas Ægyptiorum

ἱερατικὰς figurâ Dominicæ crucis VITAM VEN-  
TURAM denotari. Celebre in hanc rem te-  
stimonium exhibet Ruffinus: *Signum Domi-*

*nica crucis inter illas, quas dicunt ἱερατικὰς, id est, sacerdotales literas habere Ægyptij di-  
cuntur, velut unum ex ceteris literarum, quæ  
apud illos sunt, elementis. Cujus litera seu voca-  
buli, hanc esse asserunt interpretationem: VITA  
VENTURA.* Neque minus nota est historia,

quam de crucibus Ægyptiis, Scriptoribus Ec-  
clesiasticis Socrati & Sozomeno memoratam,

*Suidas etiam recenset: Ἐπὶ Θεοδοσίῳ ἔμεγά-  
λα βασιλέως καθαιρεμένων τῶν Ἑλληνικῶν ἱερῶν,  
εὐρέθησαν ἐν τῷ ἔσχαρτιδι τοῦ νέου ἱερογλυφικά*

*γράμ-*

γράμματα, σαυρὲ ἔχοντα τύπας, ἅπερ θεασά-  
μενοι οἱ ἐξ Ἑλλήνων χριστιανίσαντες, ἔφασαν ση-  
μαίνειν τὸν σαυρὸν ὡς αὐτοῖς ἱερογλυφικὰ γινώσ-  
κασι γράμματα, ΖΩΗΝ ἘΠΕΡΧΟΜΕΝΗΝ.

*Theodosio Magno imperante, cum fana Gentili-  
um diruerentur, inuenta sunt in Serapidis tem-  
plo hieroglyphicæ literæ habentes crucis formam;  
quas videntes Græci, qui Christo addicti jam  
erant, CRUCEM apud peritos hieroglyphicarum  
notarum ajebant significare VITAM VENTU-*

*RAM. Suffragantur tabulæ, obelisci, variique  
generis monumenta Ægyptiaca alia: in qui-  
bus frequentius quidem crux, quam commis-  
sam vocant, figurâ literæ T. & plerumq; an-  
sata, interdum tamen & immissa, qualis no-  
stra, sine ansa, occurrit. Et licet vt plurimum  
imagines, quæ cum cruce exhibentur, digitis  
brachione appensam gestent; est tamen repe-  
rire, quæ, æque ac noster sacrigerulus, lateri  
habeant applicatam: quod de sua quadam  
imaguncula Isidis bipedali, asserit testis graui-  
simus & omni exceptione major, Petrus Se-  
guinus.*

Pignor. Méc.  
Iâac. c. III.

vid. Kircher  
Obelisc.  
Pamphil.  
lib. IV. hier.  
20. p. 366.

C

Reli- 6.

Select. Nu-  
mism. pag.

Præpar. E-  
vang. V, 9,

Reliqua jam magis procliuiâ sunt. LUNA enim *dimidiatâ*, siue *cornutâ* Isidem designari, quis est Mythologiæ Veteris tam ignarus, vt doceri se postulet? Vnicum ex abundanti copia adscribam *Eusebii* testimonium: qui postquam ex *Diodoro*, Ægyptiis antiquissimis Solem & Lunam sub Osiridis & Isidis nominibus cultos retulisset, de Iside adjicit: τὴν δὲ Ἰσὶν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιὰν, τεθειμένης τῆς προσηγορίας τῇ σελήνῃ, ἀπὸ τῆς αἰδίδος καὶ παλαιᾶς γενέσεως. κέρατα δ' αὐτῇ πεπιθέασιν ἀπὸ τε τῆς ὀψews, ἣν ἔχουσα φαίνεται, καθ' ὃν ἀνθρώπον ὑπάρχει μνησείδης. *Isin, Antiquam significare: à perpetua & antiquissima Luna origine. Cui & cornua affingunt: quia hac figura conspicitur, cum menstruis mutationibus crescit, decrescitq.*

vid. Trifan.  
Comment.  
in Domit.  
numm. vit.  
Metam. XI.

Neq; major hæsitandi locus superest, quâ ratione NAUIS, Deæ nauigationis præfidi conueniat: cuius *ratem*, etiam Romani solenni festo celebrabant: in quo describendo valde itidem copiosum se *Apulejus* exhibuit. Solennio-

lenniori vocabulo BARIS nominabatur *Isidis nauigium*: vt post *Herodotum*, *Hesychius* & *Suidas*, annotarunt: quam in horrendo execrationis carmine, quod ex *Cheremone*, *Porphyrius* refert, *Sacerdos*, se stitutum esse minatur. Quamquam & in eo jam sat erat rationis futurum, si quis *puppe* in hoc numismate signata, Romanos, *hospitis Dea aduentum testificatos*, assereret. *Tacitus* certe non aliter de Sueuis: *Pars Sueuorum* & *Isidi sacrificat*. Vnde causa & origo peregrino sacro, parum comperi; nisi quod signum ipsum, in modum LIBURNÆ figuratum, docet aduectam religionem.

Euterp. cap. XC VI.

ap. Euseb. Præp. Euangel. V, 106

Germa. c. LX.

Supcrest CORONA: quam de PERSEÆ foliis contextam vix dubitabit, qui speciem illorum in *tabula Bembina* & *Kircherianis* monumentis expressam, lustrare operæ pretium duxerit. Vsum quidem huius coronæ rariorem, & ipse fateor: Sed præfert tamen eam in Ptolemæi Philadelphi pompa, *Penteteris*: & notat *Plinius*: *Alexandrum illa coronari*

Obelisc. Pamph. IV, 19, 40

Athenæus Dign. V, 7.

Hist. Nat. XV, 13.

C 2

ronari

*ronari victores Memphis instituisse, in honorem Persei atavi sui.*

Neque de Romanis fortasse dubium superesset, si ad nostram vsque ætatem peruenisset doctissimi Jureconsulti *Claudy Saturnini de coronis liber: quo nullam gratiam floris, nullam letitiam frondis, nullum cespitem aut palmitem, non alicui capiti consecratum, docebatur.*

Tertull. de coron. milit. cap. VII.

Tam liquida testimoniorum fide impetrasse me arbitror, vt Ægyptium quidem sacrificulum, tam selectis mysteriorum suorum ludibriis inuolutum facile sint agnitori, quicumque oculos huc & iudicium aduertere dignabuntur. Attamen non deerunt fortasse, qui Romanum Imperatorem hoc habitu deformatum, ægrius persuaderi sibi patientur. Equidem

*Si quis ab Isiacō Consul procedat in Urbem, Risus oris erit: quis non hunc rideat autem, Qui fuerit Consul, nunc Isidis esse ministrum?*

Commod. c. IX.

de *Commodo* vtique legitur apud Lampridium: *Sacra Isidis coluit, vt & caput raderet, & Anubim*

bim portaret. & de Pescennio Nigro scribit Spartianus: *Hunc in Commodianis hortis, in* <sup>Pesc. Nigr. c. VI.</sup> *porticu curua, pictum de musiuo, inter Com-  
modi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.*  
Verum quo minus huc transferri queant ista testimonia, intercedit ejusdem Spartiani an-  
notatio: qui, cum per Antoninum quidem Ca-  
racallam sacra Isidis primùm Romam venis-  
se neget: à Commodo tamen primùm inuecta subinnuere videtur. Nisi forte satis habu-  
it, minus probabilem Marij Maximi, vel alterius cujusdam Historici obseruationem re-  
centi exemplo confutasse. Verba ejus sunt de Caracalla: *Sacra Isidis Romam deportauit,* <sup>cap. IX.</sup> *et  
templa ubiq; magnifica eidem Dea fecit.*  
*Sacra etiam majore reuerentia celebravit, quam  
ante celebrabantur. In quo quidem mihi mi-  
rum videtur, quemadmodum sacra Isidis pri-  
mum per hunc Romam venisse dicantur; cum  
Antoninus Commodus ita ea celebrauerit, ut et  
Anubin portaret, et pausas ederet. Nisi si  
forte iste addidit celebritati, non eam primus in-  
uexit.*

*uexit.* Si pace magnorum virorum dicere  
liceret, qui vel falcem criticam immiserunt in  
hunc locum, vel à Spartiano præclare com-  
positam esse pronuntiarunt litem, quam ipse  
sibi præter necessitatem excitauerat; illi, qui

vid. Aurel.  
Victor de  
Cæsar, cap.  
XXI.

*sacra Ægypti per Antoninum deportata Ro-  
mam tradiderunt, non de cultu rituum sacro-  
rum Isidis, sed de ipsis arcanis genuinisq; Dea,*

Metam. XI.

*ut cum Apulejo loquar, exuuiis, sensisse viden-  
tur: quæ ad id usq; tempus, Alexandria fuerant  
asseruata. Nota sunt, & ipsi etiam Spartiano*

cap. VI.

*non intacta, immanitatis prodigiosæ specimina,  
quibus nobilissimâ ciuitatem, cui se ob fratris  
cædem exosum irrisumq; esse senserat, paulo  
minus quam internecione deleuit ὁ Αὐσόνου*

lib. LXXVII  
p. 279.

*θήρ. initio ab Antistitibus factum. Ἐπεὶ γὰρ εἰς τὸ  
ᾠθεῖον ἦλθε, inquit Dio, ὅς μὲν πρῶτος μετ'  
ιερέων τινῶν ἀπορρήτων ἐλθόντας δεξιωσάμεναι,*

*ἀπέκτεινε. Ut primum suburbium introjit, pri-  
mores ciuitatis, cum arcanis quibusdam & in-  
effabilibus sacris, sibi obuios, cum eos comiter  
excepisset, interfecit. Subjectis inde cædibus,*

*rapi-*

rapinis, sacrilegiis, addit mox: καὶ τῶν τὰ  
 μὴ πλείω αὐτὸς ὁ Αντωνῖν παρὼν καὶ ὁρῶν  
 ἐποίει, τὰ δὲ καὶ ἐκ τῶν Σεραπίδων προσηγάγετο  
 ἐν γὰρ τῷ τεμένει διητάτο καὶ ταῖς τῶν μιαι-  
 φονιῶν αὐτῶν νηξὶ καὶ ἡμέραις. *Et hæc quidem*  
*partim ipse Antoninus præfens vidensq; per-*  
*petrauit, partim aliis mandavit è Serapio. In*  
*hoc enim templo illos etiam dies noctesq; trans-*  
*egit, quas homicidiis suis ac nefandis facino-*  
*ribus fœdabat. Vt inter media scelera, stu-*  
 diosum tamen adhuc numinum istorum  
 agnoscas, & ad asportanda illorum secreta,  
 veluti è capta hostilique vrbe, incitatum.  
 nam ipsum quidem Isidis & Serapidis cul-  
 tum, dudum antea Romam peruenisse, nimi-  
 um abutar patientia Tua, V I R AMPLISSIME,  
 si post eruditissimum *Pignorium* prolixiori-  
 bus testimoniis affirmare laborem. cui enim,  
 ne remotiora tangam, ex ævo Cæsaris igno-  
 tum illud *Poëta* ad Ægyptum?

Menf. Ifiac,  
cap. III.

*Nos in templa tuam Romana recepimus Isin,*  
*Semideosq; canes, & siftra iubentia luctus,*

Lucan,  
Pharf. VIII.  
831.

Et

Apolog. c.  
VI.

contr. Sym.  
I, 625.

*Et quem tu plangens, hominem testaris Osirin.  
Quin ne ipso quidem Capitolio, quo circa  
A. V. C. DCXCV. prohibita fuerat Isis, extor-  
ris mansit. Tertullianus: Serapidem & Isidem  
& Harpocratem cum suo Cynocéphalo, Capi-  
tolio prohibitos inferri, id est Curia Deorum  
pulsos, Piso & Gabinius Coss. non utiq; Chri-  
stiani, euerfis etiam aris eorum abdicauerunt,  
turpium & otiosarum superstitionum vitia co-  
hibentes: his vos RESTITUTIS summam nea-  
jestatem tribuistis. Succinit Prudentius:*

--      --      --      --      ò pereuntum

*Adsertor diuūm: solus qui restituendos  
Vulcani Martisq; dolos Venerisq; peroras,  
Saturniq; senis lapides, Phœbiq; furores:  
Iliacæ matris Megalesia, Bacchica Nisi,  
Isidis amissum semper plangentis Osirin  
Mimica, ridendaq; suis solemnia caluis,  
Et quæcumq; solent CAPITOLIA claudere  
laruas.*

Quæ huc repetere visum, vt viam præ-  
strueremus, qua, pede inoffenso, ad ipsum ci-  
melij

melij nostri institutum, genuinamque, si qua fieri queat, significationem penetraretur. Et prælucent verò illam clarissime, nisi me omnia fallunt, ac veluti lumine accenso, Tacit<sup>9</sup> & Suetonius: Hic de Domitiano in vita ejus scribens: *Bello Vitelliano confugit in Capitolium, cum patruo Sabino, ac parte presentium copiarum: sed irrumpentibus aduersariis, & ardente templo, apud edituum clam pernoctauit: ac mane ISIACI celatus HABITU, inter sacrificulos vana superstitionis, cum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem, comite uno, contulisset, ita latuit, ut scrutantibus, qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non puerit.* Ille in *Historiis: Domitianus*, in- III, 74, r.  
quit, *prima irruptione apud edituum occultatus, solertia liberti, LINEO AMICTU turbe sacrificarum immixtus ignoratusq̃, apud Cornelium Primum, paternum clientem, juxta Velabrum, delituit. Ac potiente rerum patre, disjecto editui contubernio, modicum sacellum Joui Conservatori, aramq̃ posuit, CASUS*  
D QUE

QUE SUOS IN MARMORE EXPRESSIT.

*Mox Imperium adeptus, Jovi Custodi templum ingens, seq̃ in sinu Dei sacrauit. Omit- tit sacricolarum nomen Tacitus: Sed lineum amictum substituit; proprium Isiacorum in-*

Vit. Othon.  
c. XII.

*signe. Suetonius de Othone: Sacra etiam Isidis traditur saepe in lintea religiosaq̃ veste propalam celebrasse. Quomodo & Juvena-*

Sat. VI. v.  
530.

*lis Isidis cultores* *ωειφειζετ.*

*Ergo hic præcipuum summumq̃ meretur ho-  
norem,*

*Qui grege linigero circumdatus, & grege caluo  
Plangentis populi currit derisor Anubis.*

*Qui autem non ignorant, quanto luculenti-  
us propagandæ ad æternitatem famæ præsidii-  
um in numismatibus, quam in alio quouis  
monumentorum genere reposuerint Roma-  
ni; ab illis haud magno negotio poterit ob-  
tineri, vt argento quoq̃ representatos casus  
concedant, quos IN MARMORE EXPRESSOS  
tam perspicuo nobilique testimonio euinci-*

*Quantum & natale nummi nostri  
tempus*

*tempus* insuper videtur causam rationemque peculiarem complecti, qua Domitianum fuisse impulsum, non improbabilis conjectura est, *ut ultimis periculis proximus, conservata isthoc miraculo salutis memoriam, in spem VITÆ VENTURÆ, eo, quod explicauimus, emblemate consecraret.* Annum enim diemque ultimum vitæ, quod itidem ex *Suetonio* constat, jam pridem suspectum habebat, horam etiam, nec non & genus mortis : quare pauidus semper atque anxius, & tempore præsertim suspecti periculi appropinquante, sollicitior indies, nulla expediendæ tuendæue salutis præsidia neglexit. Attigit autem annum imperij *decimum sextum*, quod nummi apud *Oeconem* indicant; expleuit *decimum quintum*: quo, si præter historiæ fidem licet esse suspicaci, cuso hoc denario nostro, Isidem, cui templum etiam in nona vrbis regione exstruxit, simul *ob latebras* quondam *salutares*, PERSEÆ fructu foliisque, tanquam *silentij & taciturnitatis symbolo* celebrauit; &, postquam fa-

Domit., c.  
XIV.

Dio. lib.  
LXVII.

Suet. cap.  
XVII.  
Euseb. in  
Chron., & i-  
bi Scalig.  
Hist Miscell.  
VI, 12.

Plutarch. de  
Isid. & Osir.

D 2

milia-

Suet. Do-  
mit. c. XV.

miliaria sibi prius numina, Jouem & Miner-  
uam quoque in perniciem suam conspirasse,  
somnia admonitus est; Eandem, CRUCIS em-

Apulej. Me-  
tam, XI.

blemate ad *noua* rursus *salutis* & *vita ven-*  
*tura* tutelam sollicitauit. An vaticinium,

Suet. Domit  
c. XIV,

quo pridie quam periret, alludens ad genitu-  
ram suam, à Chaldaëis dudum prædictam, af-

Id. c. XVI.

firmauerat, *fore, ut sequenti die, Luna se in*  
*Aquario cruentaret*, ad illustrandum num-

munum conferre aliquid possit, iudicent saga-

ciores. Quibus ego materiam elegantissimæ  
disquisitionis obtulisse contentus, satis mihi

præclarum instituti mei fructum consecutus  
videbor, si in eruditorum concilio, ad Tuum,

VIR AMPLISSIME, votum expectationem-  
que, sententiam rogavi. Ita Te Deus fospi-

tet! Scribeb. Argentorati A. D. IV. Non. Fe-  
bruar. cIo Ioc LXXV.

